




1. van Boshuysen | Henr. jac. | Diss.
de observationum Sacrarum Signi-
tate, Leveste, 1722.
2. Baumgarten | Sigism. jac. |
Zuschrift an sein Züföör, 1743.
3. Büsching | Ant. Friedr. | Gedanken
von der moralischen Würdigen Göttlichen
Vorsehung in bespändiger auf-
stellung gessitteter Männer
Zur Verbesserung der folgenden
Halle 1748.
4. ———— | Introductio Historico-
theologica in Epistolam Pauli
ad Philippenses, Halle, 1746



SPECIMEN
MEDITATIONUM SACRARUM,
SIVE
COMMENTARII
PORISMATICI
IN
EVANGELIA,
QVAE VOCANT,
DOMINICALIA.

BEROLINI, apud Christoph. Popenium, Bibliop.
 ANNO M DCCI.





Lectori Christiano

Gratiam & Pacem à Domino!

Utrum consultius sit, certa pensa, quæ nunc sunt in usu, Evangelica & Epistolica christiano gregi enarrare, an vero peculiare libros ordine interpretari, aut promiscue ea è Scripturæ sacræ penu proponere, quæ auditorii ac temporum ratio postulat, non semel quæsitum est. Antiquum autem obtinent ac tuentur mordicus illi, qui ultra Postillas, quas vocant, non sapiunt. Quarum usum juxta fixos textus per se egregium esse, modo ipsæ sint egregiæ, ut negandum quidem haud est; sic affirmari tamen haud poterit, præpostera eorum esse desideria, qui angustiis hinc textuum biblicorum cancellis ac circulis docendi libertatem eximi, justis de causis exoptant. Sed res intra vota subsistit. De quo quanto sibi opere gratulantur illi, quorum praxis homiletica certis est adstricta libris ac formulis, tanquam fontibus facile exarescentibus, tanto opere iidem errant, cum de rerum tot iteratis vicibus dicendarum inopia conqueruntur: Quæ inopiæ persuasio efficit, ut non raro in ordinariorum textuum expositione & applicatione multos quasi extra oleas ferri, & ad aliena omnia abire, videas. Qui cum Textum vix tangant, quomodo ejus-

eiusdem viscera introspicient ac interiora ex prominent? Ecce ergo, benevole Lector, Specimen aliquod meditationum sacrarum, quod, quantæ sint sacrorum textuum divitiæ, mediocriter indicabit. De quo hæc monendus esse videris:

Non editur illud cum honoris aucupio, aut studio multiplicandi libros, qui christianum orbem adhuc inundarunt; sed ut Theologiæ Candidati, Verbique Ministri ^{vel Quot} meditari & latentes Scripturæ S. opes eruere discant. Quod si non ingratus ipsis erit, nec inutilis videbitur hic labor, non integrum tantum *Commentarium porismaticum in pensâ Evangelicâ & Epistolica*, sed integros etiam, si Deus vitam & vires concesserit, aliquot Scripturæ sacræ libros, hac ratione enucleatos expectent: Sin minus, in tenebris latebit quicquid luci privata primario servire debuit. Nihil enim famæ scribetur: Quam qui in re sacra venantur, bis insaniunt. Observationum copiam non mirabitur, qui, quam dives sit Dei verbum ipso usu intellexit, nec alienis, sed per Dei gratiam suis illud oculis juxta experimentalem veræ exegeseos indolè usurpaverit. Neq; exhaustum esse sacrum textum quisquam arbitretur, qui tantum abest, ut plane erutus sit, ut ne fontes quidem extrahendorum porismatum, quos Theologus apud Hallenses eruditus ac tentatus, *Dn. A. H. Franckius*, in *Manuductione ad Lect. Script. S.* feliciter exhibuit, data opera adhibiti fuerint. Cavendum enim semper est, ne mens multitudine obruatur. Ordo autem in his talis est, qualem ad-

MOO

mittit meditatio, in qua ut observationum alia aliam, aut homogeneam aut heterogeneam citra difficultatem excepit, sic scriptæ sunt. Fundamentum textuale si inquisiveris, ubique inuenies: Non autem semper idem, eadem perspicuitate eodemque pondere, sed omnino diversum, non tamen insufficientis. Et si quæ obscuriora videbuntur ac minus solida, noveris partim aliquid dandum esse hominibus, partim vero à Lectoris hæsitacione ad negationem perspicuitatis ac soliditatis in aliqua re, non valere consequentiam. Qui enim non ipse habet mentem meditatione aliquanto limatorem, non potest non in iis etiam admodum peregrinari, quæ aliis sunt plusquam domestica. Non omnia autem porismata promiscue proponenda esse, noverit is, qui temporis, aliarumque circumstantiarum momenta in consilium adhibet: Quod qui didicit, huiusmodi observationes non modo applicare, sed etiam pro re nata dilatare poterit: Habet enim animum fide ac amore dilatatum usuque experimentalis subactum. Reliquis non hæc tantum clausa erunt atque in via, sed ipsa etiam Scriptura S. liber est ob signatus. Ceterum qui carpere hæc voluerit, facto virium suarum periculo, imitetur, imo Specimen exhibeat melius ac solidius. Interea, *Lector Benevole*, vale, Deique ac veritatis causam, si quam tibi commissam esse existimas, strenue ac feliciter age, Tuam vero mentem, si spiritualibus dijudicandis idonea est, super hoc Specimine aut coram, aut per schedulam, amice tamen ac placide, bibliopolæ indica.

DOM.



DOM. JUDICA,

Evang. Joh. IIX. v. 46 -- 59.

V. 46.

Τὸς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με πρὸς ἁμαρτίας, εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω, διατί ὑμεῖς ἔπιστεύετε μοι;

PORISMATA.

I.

Veritas contra ejusdem hostes strenue asserenda, imo speciatim & scriptis quandoque defendenda est. *Cur enim non liceat hoc etiam agere calamo, quod juxta Christi exemplum voce licet?*

2. Solent communiter pro veritatis hostibus haberi, scriptisque ac voce oppugnari, qui tales minime sunt. *Videmus hoc in Christo juxta contextum.*

3. Errant, qui pro rei necessitate, contra veritatis hostes aliquanto acrius ac vehementius loquentibus, aut scribentibus, Spiritum Christi opponunt. *Ut ut enim in eo lenitatis affectus fuerit potior, zelum tamen pro re nata admisit vehementem, ut inter alia ex integra hac disputatione constat.*

4. Affectus etiam vehementior intruenda veritate summo sit amore temperatus. *Talis hic est in Christo.*

5. Cæcus est zelus perversusque affectus, qui præter justum amoris temperamentum non habet veritatem pro fundamento. *Christus enim zelo accensus, non nisi quæ vera sunt, locutus est.*

A 3

6. Ut

6. Ut lenitas Christi omittenda non est, ob vicinum in nobis hypocriseos aut timiditatis humanæ vitium; sic & parrhesia Christi est imitanda, licet ei zelus inordinatus sese facile insinuaré possit. *Possumus enim omnes, quæ naturæ nostræ est corruptio, convinci & timiditatis & præcipitantia, nibilo tamen minus Christus nobis exemplo suo parrhesiam sive zelum atque lenitatem junctim commendavit.*

7. Aliud est minari veritatis hostibus ignem cœlitus delapsurum, aliud iisdem cum parrhesia dicere quod verum est. *Posterior nos suo docuit exemplo Christus, qui prius prohibuit.*

8. Veritatis vindices oportet verba aut scripta sua accurate accommodare rebus ac personis, veritati resistentibus. *Id quod liquet ex hoc versiculo, collato cum integro contextu.*

9. Magna Dei gratia est, quando mediis in tenebris strenuos veritatis confessores excitat, *sicut maxima eluxit gratia in excitato Messia, qui ipsa veritas.*

10. Christus non habuit propria peccata, ut validissime destrueret aliena. *Conf. 1. Joh. 3. 8.*

11. Culpa careat necesse est, qui alios vult efficaciter redarguere. *Consequentia prona est.*

12. Si redarguendi sunt aperti veritatis hostes, potiori jure corripiendi erunt fratres, si peccent: *quod hinc confici, nemo negabit.*

13. In omni autem elencho & correptione, quantum fieri potest, Christi, hic & alibinos præeuntis, sequamur vestigia, ne qua ratione aberremus.

14. Christiani, in primis verbi Ministri, debent esse ἀνέγκλητοι, h. e. puri sceleris & peccatorum regnantium, ne se & doctrinam christianam exponant derisui. *Christi enim exemplum vitæ nostræ regula est, ad quod si non equalitate, at certe similitudine aliqua ut accedamus, necesse est.*

15. Errant, qui sanctis absolutam in hac vita ἀναμαρτησίαν
tri-

tribuunt. *A Christi enim exemplo non semper valet consequentia absoluta, sed restricta.*

16. Pharisaicum est, ad vitæ suæ innocentiam provocare, nec tamen habere cor fide viva præditum. *Dum enim vitæ innocentiam Christus tacite commendat, simul fidem requirit.*

17. Ut veritatis hostes piorum sunt insidiose observantissimi, sic eos nonnunquam egregie docent illud ἡγῶσι σεαυτῶν, detectis saepe latentibus nævis: *Quos Pharisei jussi Christo omnino objecissent, nisi absolute fuisset ἀναμάρτητος.*

18. Externum quidem, non tamen spernendum, pii ad vitæ inculpate agendam, habent incitamentum, si cavent, ne hostibus suis se armis aliquando oppugnandos tradant.

19. Inprimis qui in persecutionibus aliquando frui vult conscientia tranquillitate ac parrhesia, vitæ innocentia studeat.

20. Nihil pios validius armat contra hostes quam veritatis possessio in pura conscientia. *Veritas enim est, qua Christus hic hostes animose propulsat.*

21. Vitæ innocentia cum justitia causa non nisi exigente necessitate & citra jactantiam urgenda est. *Non enim legimus, Christum eam urfisse ubique.*

22. Impii piorum, inprimis verbi ministrorum, minimos etiam errores ac nævos magis solent exasperare, quam peccata in hominibus sui commatis gravissima. *Id quod præter perpetuam experientiam præcipue Judæorum cum Christo disceptantium affectus testatur.*

23. Ita vivendum est, ut ne Pharisei quidem, hoc est, iniqui ac rigidi censores inveniant, quod reprehendere possint. *Hos enim censores potissimum provocat Servator noster.*

24. Aliud est, crimina piis objicere, aliud ea probare. *Probationem hic exigit Christus in voce ἐλέγχειν.*

25. Non Christi, sed ventris, imo diaboli servus est Christianus

nus, præcipue verbi Minister, cui vel spectata hypocrisis vel aperta scelera jure possunt objici. *Vita enim impietas conjuncta cum interna cordis impietate, quam hic taxat Christus, nos diabolo mancipat. Conf. v. 44.*

26. Quia calumniatoribus ac veritatis osoribus nihil est difficilius atque gravius, quam impositum probandi onus, strenue illo urgendi sunt. *Hoc nos docet Christus, probationes exigens.*

27. Amoris affectus simul temperandus est veritate, ne nos ille remissos faciat ac partium studiosos. *Hic in Christo omnia summa, & simul tamen temperatissima erant.*

28. Non nisi qui in Christo est, cum Christo legitime ac sincere de veritate testari potest. *In Christo enim nisi simus, testamur contra nos ipsos, & testimonium vitæ testimonio doctrinæ efficacissime reclamatur, imo, illud tantum non plane tollit.*

29. Quibus cum adversariis res est, caveant, ne quid proferant, quod exacte verum non est: *alias enim neque verissimis fidem habebunt.*

30. Veritas inprimis dicenda est istis, qui ipsi hodie resistent, hoc est, in quorum spiritu nunc prisca Pharisei divinæque legis periti reviviscunt. *Phariseos hic potissimum Christo resistisse è contextu liquet, inprimis e. v. 3. hujus c. 8. Joh. Hodie autem, qui veritatis ministri esse debebant, ejusdem præ ceteris hostes esse, quis nescit? quis non videt, legit ac audit?*

31. Verbum Christi fidei est fundamentum, ejusque excitandæ adminiculum. *Poterant enim per illud Judæi in Christum credere.*

32. Verbum Christi per se est semen vivum ac efficax, per accidens autem, scilicet ob repugnantiam auditorum, sæpe fit litera mortua, *ut hic factum est in Judæis.*

33. Crescente Christi rerumque divinarum agnitione, crescat fides, sive, qualibet veritatis accessio ita usurpetur, ut eadem

eadem fides nostra augeatur. *Veritas enim fidei fons est, & fides veritatis filia.*

34. Veritas etiam ubi cognita est, vel cognosci potuit, paucos solet sui cultores habere, sed in plurimis odia parere: *Quod præter experientiam hic Judæorum docet exemplum.*

35. Non est, quod angatur nimium Verbi Minister, si veritati à se propositæ paucissimos fidem habere deprehendit. *Si enim ipsi Christo fidem denegarunt plurimi, quomodo habebunt ejus servis?* Conf. Joh. 15. v. 20.

36. Non offendantur infirmi, nec suum veritatis studium imminui aut suspectum reddi patiantur, si nostræ ætatis Phariseos potissimum veritati resistere videant.

37. Etiam reprobis serio & efficaciter offertur Dei gratia, nec reprobatio est absoluta, *quia Pharisei & quot quot ex Judæis cum Christo disceptabant, credere poterant, quos si non singulos, plurimos tamen reprobos fuisse, quis dubitabit?*

38. Si falsum est, reprobos potuisse credere in Christum, & si falsum est, meritum Christi esse universale, sequitur Christum non solum à reprobis exigere, quod impossibile, iisque simpliciter negatum est, sed etiam exigere, ut credant id, quod falsum est, imo reprobos damnari ideo quia, quod falsum est, credere, sive meritum ipsius fide recipere noluerint. Id quod est longe absurdissimum. *Christus enim hic, uti & alias, in reprobis per oblatam gratiam credendi potentiam urget, ac fidem exigit, iisque si (ex coll. v. 51.) crediderint, sive universale ipsius meritum fide receperint, vitam promittit, sin minus mortem simul minatur æternam. Per verbi autem servationem hic fidem intelligi, sequente sancta vita, nemo in dubium vocabit. Conf. de hoc argumento inter alia omnino Job. III. v. 18. Ex quo loco, si falsum est, Christi meritum etiam ad reprobos extendi, quam luculentissime efficitur, reprobos damnari, quia credere noluerunt illud, quod falsum est. Dicitur enim: Qui non credit, jam condemna-*

tus est, quia non credidit in nomen (sive in meritum) unigeniti Filii Dei.

39. Veritas etiam quam sapientissime & quam efficacissime proposita potest manere inefficax, in primis in auditoribus, quos præconceptra optiones fascinarunt. *Quis enim Christo docuit sapientius aut efficacius?*

40. Quanta sit connata cordis humani durities, & quanto pere illa per voluntariam malitiam augeri soleat, exemplo nobis sunt Judæi cum Christo hic disputantes.

41. Nihil est credendum, nisi quod verum esse constat.

42. Christi verbum est etiam citra explorationem prompte recipiendum, quia Christus non nisi vera dixit, & ipsa est veritas.

43. Quicumque non potest dicere: quis me ullo modo potest convincere ullius peccati, ejus verbum non est ante recipiendum, quam exacte probatum sit.

44. Absit in rebus divinis præjudicium auctoritatis & respectus personarum, quia sola veritas, quam hic Christus urget, respicienda est.

45. Quod verum esse dicimus, id etiam verum esse, vitam comprobemus.

46. Impiis difficillime potest persuaderi, eos ex diabolo esse, ut ut sit verissimum. Conf. v. 44.

47. Quamvis verbi vis non dependeat à qualitate docentis, facile tamen colligi potest, quam sit inefficax prædicatio ministri impii, quia ne vera quidem semper dicit, & quod dicit sive adstruit, vitæ impietate iterum destruit. *Si enim ipseus Christi piorumque Christi servorum præconium in multis fuit & est inefficax, quid de ministerio impiorum est sperandum?*

48. Qui vult vera dicere, vera ut audiverit, Spiritum veritatis ut habeat, & ex Deo natus sit, necesse est: *Quod contextus collatus cum hoc vers. innuit,*

49. Ho-

49. Homines Pharisaici & Epicurei semper latentes habent sibi fingunt causas, cur veritati non adstipulentur. *In has Christus hic inquit, simul innuens eas plane nullas esse.*

50. Potest fidelis Verbi Minister postulare, ut ipsi auditores fidem habeant, sed non nisi quatenus probare potest, se vera dixisse.

51. Aut plane inidonei, aut certe admodum difficiles sunt ad fidem veritati habendam, quotquot in spiritu vivunt pharisaico, aut ab ipso decepti sunt.

52. Mendaciis Pharisaeorum promptius solent credere homines, quam vere dictis fidelium Christi servorum.

53. Judæi fuerunt ἀποκαλέσθησαν καὶ ἀναπολόγητοι, dum de ἀναμαρτησία Jesu convicti, eum pro Messia non habuerunt, neque jam habent.

54. Fides oculata sit necesse est, veritatis luce radians. Errant igitur Papicolæ, cæcam postulantes fidem & obedientiam, in iis etiam, quæ vera esse, probare haud possunt.

V. 47.

Ὁ ὧν ἐν τῷ θεῷ, τὰ ῥήματα τῷ θεῷ ἀγγεῖ. Διὰ τὸτο ὑμεῖς ἐν ἀγγεῖτε, ὅτι ἐν τῷ θεῷ ἐν ἐστὲ.

PORISMATA.

I.

Regeneratio non est imaginaria, sed realis, divinam in homine indolem, & intimam ejusdem cum Deo unionem ac utriusque communionem significans. *Is enim est regeneratus, qui revera quoad novum hominem ex Deo est, non vero qui tantum de Deo cogitat & loquitur.*

2. Verus verbi auditus, qua audita spiritualiter intelligimus, & quasi in succum & sanguinem spontaneo motu & affectu convertimus, est ex regeneratione.

3. Verus verbi auditus regenerationem etiam antecedit, ut organon ejusdem efficax: *Sicuti hic Pharisei, alique Judei nondum regeniti illud audiebant, quanquam sine attentione & fructu: Unde de novo colligitur seqv:*
4. Verbum Dei, efficacissimum regenerationis medium, auditorum culpa saepe fit inefficax.
5. Is digne verbum Dei audit, qui ex coll. vers. antec. per illud in Christum credit, illudque vitæ innocentia exprimit.
6. Nemo potest verbum Dei purum à verbo corrupto, seu humano dignoscere, nisi qui ex eodem est regenitus. *Qui enim ex Deo est, non nisi Dei verba audit, & dum salutariter audit, non potest non illud à verbo falso ac corrupto discernere.*
7. Indubitatus regenerationis character est efficax veritatis amor. Quod tentatis notandum est. Hinc
8. *Qui* nullum habet interiorem verbi divini ac veritatis gustum, irrogenitus adhuc est, peccati iugo subditus.
9. Ut hic Judæi, sic fere ubique auditorum plurimi audiendo non audiunt, quam diu sunt cordibus & auribus incircumcisi.
10. Quia regeneratio cum auditu verbi conjuncta esse debet, quilibet auditores sint de eadem solliciti, alii de ea per vim verbi procuranda, alii de ea conservanda.
11. Si torpor ac defectus attentionis, amorisque ac gustus interioris, arguit defectum regenerationis, quid apertus verbi contentus, ac hostilis veritatis impugnationo arguet?
12. Magna christianorum verorum est dignitas, quia sunt ex Deo, non tantum per naturam, sive creationem, sed, quod majus est, per regenerationis gratiam.
13. Homines etiam perditissimi Deum faciunt suum, ne plane à Deo esse videantur: *Sicuti hic Judæi sibi audacter tribuunt, quod ipsis Christus negat.*
14. Non damnant Verbi Ministri, zelo divino accensi, impi-

impios, ut isti clamitant, dum eos damnabili in statu vivere evincunt; ut h. l. *Christus de Judæis evincit.*

15. Impii ac irrogeniti Verbi Ministri neque habent, neque prædicant per omnia pure purum Dei verbum. *Quomodo enim illud habeant, aut incorrupte annuncient, quod in statu irrogenito perseverante nec spiritualiter audire ac intelligere, nec spiritualiter ac salutariter recipere voluerunt, aut potuerunt?*

16. Qui Verbum Dei rejiciunt, sunt communiter vel ipsi Pharisei, eorumque discipuli, vel per eorundem conciones præjudicii & veritatis odio imbuti. *Utriusque generis homines hic sunt, quibus cum Christus conflatur.*

17. Eam regeneratio indolem homini affert, ut spontaneo Spiritu, motuque interiore ac suavissimo gustu, Deo, cujus bonitatem gustavit, quam lubentissime adhæreat, nec facile ab eodem divellatur. *Hoc est, quod in textu dicitur, verbum Dei in statu regenito audire.*

18. Quicumque ex Deo est, totum Dei de salute sua consilium. Act. 20. v. 27. recipit, sive audit totum Dei Verbum, nec prætermittit ea, quæ carni ingrata sunt, ut prætermittunt irrogeniti. *Verbum Dei hic in latitudine sua intelligitur.*

19. Quicumque se verbo Dei non patitur reprehendi, & in melius mutari, sed potius illud rejicit ac contemnit, cum Judæis est ex diabolo.

20. Sæpe neque illi Verbum Dei audiunt, qui eidem præ aliis à juventute sunt innutriti; quales inter Judæos Pharisei legisque periti erant.

21. Verbi Ministrorum est, ministerio suo non tollere sacerdotium spirituale, nec sibi vindicare monopolium aliquod sacrum, sed & alios veritatis testes audire, etsi sint vel ex ipsis auditoribus, & specie ac auctoritate viles. Hic Pharisei non audiunt, quia non nisi suum esse putant, docere.

Ἀπεκριθῆσαν, ἔν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ εἶπον αὐτῷ. ἔ καλῶς λέγομεν ἡμεῖς, ὅτι Σαμαρείτης εἶ σὺ, καὶ δαμόνιον ἔχεις.

PORISMATA.

I.

Veritatis confessio quandoque non tantum non lucratur auditores, sed etiam exasperat, arrepta hinc calumniantiac blasphemandi anfa, *sicuti hic videmus in Iudæis.*

2. Est quandoque & coram iis aut contra eos urgenda veritas, quos ejus confessione deteriores fore scimus, aut certe opinamur. *In hoc enim hic Christus nobis exemplo est.*

3. Hostium veritatis proprium est, ut pro argumentis calumnias afferant atque blasphemias. In quo Phariseorum veterum vestigia egregie premunt novelli.

4. Phariseorum est, in veritatis impugnatione ad suam & suorum cathedram ac autoritatem provocare. *Nonne recte dicimus NOS, inquit hoc loco.*

5. Sape integra Collegia Theologica & Ministeria, quæ vocamus, una cum plebe gravissime errare, piisque ac veritati reclamare possunt & solent, *ut in Phariseis & eorum auditoribus videmus.* Quod si hodie crederetur à pluribus, responsa Theologica non statim haberentur pro oraculis, nec multitudo errantium errori patrocinium pareret.

6. Nihil est communius, quam quod Christus ejusque doctrina à falso sic dictis orthodoxis oppugnetur. *Quid enim Iudæos ad tantum adegit insaniam, ut Christo contradicerent, nisi orthodoxia opinio, καὶ μὴ ὄφθωσις τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας. Rom. II. 20. Qui locus omnino in contextu suo conferendus.*

7. Nihil est vulgarius, quam sub orthodoxiæ opinione ac titulo, cum præpostero zelo, sinceris veritatis confessoribus hæreseos ac schismatis notam inurere.

8. Non

8. Non est, quod quisquam contristetur propter falso obiectum hæreseos crimen aut heterodoxia notam, quia Christo & Apostolis redditur *σύμμορφος*.

9. Ut præposteri hæretificatores Phariseorum, sic & diaboli sunt filii, Pharisei enim, teste Christo v. 44. ex diabolo erant.

10. Sæpe, qui orthodoxiam crepant, sunt *ἑτεροδοξότατοι*, à doctrinæ puritate per tenebras ac impuritatem mentis atque cordis maxime alieni: *Sicuti exemplum habemus in Phariseis.*

11. Malæ causæ convictæque sed reluctantis conscientia signum est, criminari.

12. Constans ac pertinax sui defensio per se non est (ut hodie à multis existimatur) argumentum bonæ causæ.

13. Ut pertinacia philætiæ filia, sic errorum mater est. *Quanta hic in Iudæis philætiæ! quanta pertinacia! & quot ac quanti inde errores!*

14. Citra prævium examen cœco impetu juxta præjudicia sua veritati reclamare, pharisaicum, imo diabolicum est.

15. Falso tribuitur à veri nominis Phariseis odiosum Phariseorum ac hypocritarum nomen iis, qui tales minime sunt, sed ex Deo nati Verbum Dei audiunt, & vitam agunt cum demissione cordis inculpatam.

16. Verisimile est, jam inde à Christi & Apostolorum ætate, sæpe homines doctrina ac vita puros hæreticorum catalogo insertos fuisse, ob veritatis testimonium, *quia neque ipsi Christo perpercerunt cacodoxi Iudæi.*

17. Impii ut piorum jura sibi vindicare non dubitant, sic non erubescunt, quod sibi competit, piis tribuere. *Liquet enim ex contextu, judæos hos esse ex diabolo, & ipsos Deum falso facere sumum: Hoc Christo negant, illud vero tribuunt.*

18. Retorsiones sunt illicitæ, imo ex diabolo, à quo illos hoc loco didicerunt Iudæi, in Christum retorquentes illud, quod ipsis v. 44. vere objecerat.

19. So-

19. Solenne est impiis, duriores correptiones, etsi sint verissima & necessaria, pro calumniis habere, easque acerbissimis disteriis ac scommatibus pensare.

20. Non expectet Verbi Minister laudem pro parrhesia sua ac veritatis defensione, sed potius convitia & persecutiones.

21. Quia obsequium hypocriticum amicos, veritas autem odia parit, non offendamur, si ea cumulate in veritatis confessoribus recidere videmus, sed illos potius hoc caractere pro genuinis agnoscamus.

21. Non mirum sit, si impii adhuc hodie, præter latentem, quam vocant, sub pietate pestem, odiosa crepent nomina, iisque pios insigniant.

22. Inanis est atque inopia impiorum parrhesia, quando contra veritatis defensores clamoribus pugnant, in primis in cathedra ac suggestu, ut hic Pharisei in templo.

22. Pios commercii diabolici arguere, ac odiosis nominibus traducere, non levis peccati in Spiritum Sanctum gradus est. Conf. Marc. III. 29. 30.

23. A contentu veritatis, & odio correptionum, ad peccatum blasphemiae & statum indurationis, ut facillimus, sic periculosissimus datur progressus.

24. Eo impudentiae & impietatis solent procedere veritatis ofores, ut pessima etiam facta, peccataque turpissima καλῶς, ut in textu est, facta esse putent.

25. Non spiritualis, sed carnalis est parrhesia, quam indignationis, superbiae ac maledicentiae affectus inflat ac efficit, qualis hic erat in Indaeis.

Ἀπεκρίθη Ἰησῆς. Ἐγὼ δαιμόνιον ἐν ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου, καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετε με.

PORISMATA.

I.

Blaphemiæ non mussitandæ sunt, ut aliæ injuriæ, sed aperte retundendæ.

2. Innocentiæ ac veritatis defensio non eget minis aut increpationibus injuriosis. *Intrepide quidem, sed mitissime Christus agit cum hostibus.*

3. Abstinendum tunc est ab acriori responsatione & verbis durioribus, ubi illa post injurias illatas, retorsioni, vindictæ ac impotentia nostræ adscribi possunt, hostesque magis irritatura videntur.

4. Non blasphemiam tantum, sed & injuriæ ac scommata, præferim præsentibus aliis in pios jacta, refellenda sunt, si officium ipsorum pericliterur.

5. Illustris redditur veritatis defensio, deficiente hostium probatione, præcipue in conscientia veritatis confessorum.

6. Qui Deum non legitime honorat, cum diabolo habet commercium, sicuti ex oppositione fluit.

7. Gloria Patris sit vitæ actionumque nostrarum omnium scopus.

8. Qui honorat Deum, ab eodem honoratur, qui contemnit, contemnitur, *quod Judæi experti sunt.* Conf. i. Sam. ii, 30.

9. Ut Christi, sic & christianorum gloria in contemtu ac ignominia immaculata manet.

10. Ille demum juxta Christi exemplum quam æquissime ferre potest ignominiam, qui Deum honorat, se autem abnegat ipsum.

11. Ille etiam Christum ignominia afficit, qui in illum juxta

C

v. 46.

v. 46. non credit, sicuti eum honoramus fide quam maxime. conf. Rom. IV, 20.

12. In mundo honorandi contemnuntur, & contemnendi, honorantur. *Cujus rei Christus abjectus, Pharisei vero honorati documentum præbent.*

13. Quicumque propter veritatem ignominia afficitur, certum habet documentum, se Deum honorare.

14. Verbi Minister non tantum justum officii sui scopum habeat, sed ejus sinceritatem data occasione sedulo urgeat.

15. Patrem honorat, quicumque juxta v. 46, innocentia vitæ studet, & ejus voluntatem facit.

16. Nemo potest Deum suum vocare patrem, nisi qui eundem in Spiritu & veritate honorat.

17. Ex Deo non est, nec patrem honorat, qui Christi gloriam aut verbis aut factis imminuit, sed blasphemus est.

18. Christus exhibuit Verbi Ministris regulam ac modum honorandi Patrem cœlestem, scilicet doctrina pura & vita sancta.

19. Zelus pro Dei gloria non patitur, ut impii sibi filiorum Dei nomen & prerogativas vendicent.

20. Deum honorare debemus actu continuo, quem verbum τῆς in præsentem exprimit.

21. *Eadem est Patris & Christi gloria:* Quod Christus indicat, cum dicit, & vos ignominia afficitis me, postquam dixerat, honoro Patrem.

22. Qui Patrem cœlestem honorat, ignominia quadam, ex opinione impiorum, afficit impios, ex quo fit, ut iterum cumulate eadem afficiatur.

V. 50.

Ἐγὼ δὲ ἔζητῶ τὴν δόξαν μου, ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κερῖνον.

PORISMATA.

I.

Christus non jactavit suam cum Deo aequalitatem, sive eam non

non habuit tanquam rapinam juxta Phil. II, 6. sed eam occultavit, assumpta servi forma.

2. Abnegatio ac studium humilitatis decet Christi discipulos.

3. In defensione nostra non nostra, sed divina gloria est quaerenda.

4. Christianorum est, non tantum non affectare honores, sed concessos etiam abnegare, aut modeste dissimulare.

5. Honores mundanos abnegatificale est pati contemptum ac injurias.

6. Dum Deus pios honorat, ignominia in mundo non eximuntur, sed iste honor ipsis potius cedit contemptui, contemptus autem honori.

7. Ut impiis pii, sic & piis impii sunt *παράδοχοι*; Piorum enim contemptus ipsis est gloriosus; impiorum autem gloria istis ignominiosa.

8. Christus vere fuit mansuetus & humilis corde, ad nostram imitationem.

9. Honor abnegatus non evanescit, sed si legitimus est, Deus eundem potenter asserit.

10. Honoris abnegatio ejusdem contemptores ac violatores non excusat, sed potius gravat, ut gravavit Judaeos.

11. Caveamus ne nostra gloria lateat sub prae-textu gloriae divinae.

12. Deus impios non tantum ob mala positiva, sed etiam ob bona privativa judicabit, sicuti *judicaturus est Judaeos ob negatum Christo honorem.*

13. Deus non nisi illius Verbi Ministri ac veritatis confessoris honorem vindicat, quem unxit atque misit; *quemadmodum in misso Messia, cujus in officio vestigia peculiariter verbi praecones excipiunt, luculenter demonstravit.*

14. Quando impii pios appellant hypocritas, stultos, insanos ac diabolicos, cogitent pii, penes impios non esse hujus rei judicia, sed penes Deum summum Judicem.

15. Verbi Minister, qui anxie honores muniaque ampliora, ac honoratoria quærit, & *πρωτοουλσίαν* ac *πρωτοκαθεδρίαν* affectat, ostendit cujus sit filius ac discipulus, non Christi, sed diaboli ac Pharisaorum,

16. Is suam quærit gloriam, qui ob eam iminutam stomachatur.

17. Quis neget, Deum suorum curam agere in omnibus, cum constet, eum ademptos ipsis honores in eorundem violatoribus ulcisci?

18. Christiani & Verbi Ministri quo se putant esse ampliores ac digniores, eo sint juxta Christi exemplum, qui omnium Dominus est, humiliores.

19. Verbi Ministri in hoc sint Dei ipsius imitatores, ut Christi honorem, eant assertum atque amplificatum.

20. Cum Christo honorem nondum abnegavit Verbi Minister, qui *Summe* vel *Maxime Reverendi* (*Hochehrwürdig* / vel *Hochwohllehrwürdig*) titulum non cum occulta quadam averfatione sustinet, sed illum ambitiose affectat, deque eo sibi tributo gaudet, ac sibi gratulatur.

V. 51.

Ἀμήν ἀμήν λέγω ὑμῖν, εἰάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, θάνατον ἔμὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα.

PORISMATA.

I.

Verissima sunt certæque fidei, quæcunque Christus protulit.

2. Asseverationes sanctiores non nisi in rebus magni momenti, & exigente necessitate Dei que gloria, locum habent.

3. Solum Christi Verbum obligat concientias, exclusis hominum præceptis ac traditionibus, ipsi contrariis.

4. Verbum Christi est ejusdem discipulis, ex Deo natis, servatu facile.

5. Quicumque clamitat, fieri non posse, ut à regenitis verbum Christi servetur, à Christo est alienus, eiqve in faciem ausu abominabili contradicit.

6. Maxima & fere stupenda est in Christianorum plurimis Dei rerumque divinarum ignorantia, conjuncta cum non minori malitia, quia, quomodo & à quibus Verbum Dei servari possit ac debeat, nesciunt, illudque servare nolunt.

7. Verbi Ministrorum plurimi, quod exstruunt, iterum destruunt, non vitæ tantum impietate, sed & doctrinæ corruptione, dum modo vitia perstringunt, modo virtutes commendant, modo Verbi Divini servationem impossibilem esse præpostero zelo, & quidem non raro cum invectiva in pios, urgent.

8. Peccandi consuetudo ac libido, nec non perpetuus infirmitatis humanæ prætextus, primariæ impiis regulæ hermeneutica sunt, in Scripturæ S. lectione & expositione? juxta quas sensus is est optimus, qui corruptæ naturæ convenientissimus. *Mirum enim in modum hæc & alia Scripturæ dicta torquent, ut elabendi rimam inveniant.*

9. Errant non tantum qui suspectam habent locutionem de servatione præceptorum, sed etiam qui eandem cautissime, & non nisi addita restrictione adhibendam esse, autoritate senipapali dictitant. *Ubi enim Christus restrictionem adhibuit? quæ ut ut pro circumstantia auditorii adhiberi possit ac debeat, non semper tamen necessaria est, cum de sensu ejus ex analogica atque experimentalivie ad salutem cognitione constare possit.*

10. Biblicus loquendi modus ut optimus, ita & rutissimus est, à quo qui abhorret, ab ipsa veritate est alienus.

11. Verbum Christi non tantum efficax, sed & salutiferum est, quia à morte liberat æterna.

12. Magnum erit judicium super contemptoribus verbi, quod tam firmum & à Christo confirmatum, nobis autem tam salutare est.

13. Verbum Christi est Verbum veritatis, Spiritus ac vitæ in œconomia gratiæ ac gloriæ: Phariseorum autem verbum, est verbum contentionis, vertiginis ac mortis, quod ipsi Christo, vitæ Domino repugnabat: Illud est gladius Spiritus, hoc vagina gladio vacua.

14. Mortem æternam effugit nemo, nisi qui vitæ spirituali per verbum Christi fuerit restitutus.

15. Verba sensuum in codice sacro sunt significantissima & realissima in impiis & piis: Ita enim pii videbunt vitam, & ita impii videbunt mortem, ut utriusque sensum ac gustum intime experiantur.

16. Verbum Satanæ, verbum mortis, introducta morte perdidit in Paradiso universum genus humanum; Christi vero verbum illud vitæ spirituali restituit.

17. Christi verbum servatur per obedientiam fidei & vitæ, ut ex contextu patet.

18. Illustres habet promissiones pietas, futuræ in primis vitæ.

19. Ea demum pietas est sincera, & is Dei cultus legitimus, qui verbum Christi habet pro fundamento ac norma.

20. Vanus is est Dei cultus, qui non conjunctus est cum servatione verbi divini.

21. Eam habent regeneriti indolem, easque habent ex Deo vires, ut Verbum Christi & possint & velint servare.

22. Christianorum libertas à lege, adeo non pugnat cum servatione præceptorum Christi, ut potius eam promoveat.

23. Multis fit verbum vitæ odor mortis ad mortem, ut hic factum est Judæis.

24. Mortem æternam nequaquam effugient, qui nudi sunt atque steriles verbi auditores.

25. Fides atque bona opera habent promissiones, non vero merita.

26. Quæ suam feriunt personam, nec officio directe obesse videntur.

videntur, intacta relinquat Verbi Minister, intentusque sit, ut per verbum aliquos æternæ morti eripiat. *Dissimulat enim Christus, sese audivisse scomma de objecto samaritanismo.*

27. Mors fidelium corporalis mortis nomine vix digna, sublato ante & post mortem mortis metu ac imperio.

28. Visio Dei in beatis complectitur infinitos vitæ æternæ thesauros omnia que bona, quia visio mortis in damnatis involvit totam damnationem, malaque privativa & positiva.

29. Quo major atque simul inerior hic fuit theoria theologica, eo major atque plenior erit theoria sive visio mortis æternæ. *Dicitur enim, mortem θεωρήσει.*

30. Quidni Christus sit vita ipsa verusque Deus? cum verbum ejus conferat vitam æternam.

31. Christi verbum est Dei verbum. conf. v. 46. Ergo Christus est verus Deus.

32. Deus salutem nobis promisit, sed constituto certo ordine, citra quem ejus participes fieri haud possumus. *Qui ordo ostenditur in his verbis: Si quis servaverit verbum meum.*

33. Ut mors corporalis consistit in separatione animæ à corpore, ita mors spiritualis & æterna spirituales affert atque æternam hominis à Deo separationem, insequentibus malis positivis.

34. Anima hominis utique immortalis est.

35. Christus revera gustavit mortem æternam, quia ab eadem credentes liberavit.

V. 52.

Εἶπον ἐν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι· Νῦν ἐγκύβηταμεν, ὅτι δαμόνιον ἔχεις· Ἀβραὰμ ἀπέθανε καὶ οἱ προφῆται καὶ σὺ λέγεις· Ἐὰν τις τὸν λόγον μου τηρήσῃ, ἔ μὴ γεύσεται θανάτου εἰς τὸν αἰῶνα.

PORISMATA.

Sanctissima etiam atque innocentissima effata per accidens atrocissimas pariunt criminationes.

2. Im-

2. Impii piorum asseverationes ex suis, quæ vanæ sunt, iudicant, iisque fidem detrahunt. Neque enim asseveranti Christo fidem habent.

2. Sæpe etiam hæretici falso sic dicti ob confessionem veritatis, post mortem pro sanctis habentur, *ut videmus in Prophetis.*

4. Ut felicitatis in piis, sic damnationis æternæ in impiis exquisitissimus erit sensus.

5. Verbum videndi gustum experimentalem inferre, ipsi testantur Judæi verborum permutatione: *Providebit enim ponunt, gustabit.*

6. Sæpe major lux ac gratia, majori, quæ hominum est malitia, cedit excæcationi; *sicut videmus in Judæis hic auget tenebras, audito insigni ac suavissimo veritatis testimonio.* Conf. 2. Cor. IV. 4.

7. Sæpe Patrum memoria ac gloria coguntur posterorum impietati servire.

8. Tanta sæpe est posterorum malitia, ut majorum vestigia laudabilia, tanquam devia, negligant; illaudabilia autem, ut recta, avide sectentur. Sicuti Judæi non imitabantur fidem Abrahami ac Prophetarum, illorum autem imitatores erant, qui Prophetas occiderant.

9. Sæpe Patrum doctrina, etsi doctrinæ posterorum sit convenientissima, cogitur veritati præjudicium creare, eamque hæreseos postulare.

10. Impii in perseverante impietate sua, nec possunt, nec volunt verum ac spiritualem Scripturæ S. sensum percipere. Non possunt, quia cæci sunt, non volunt, quia feriuntur gladio Spiritus. Conf. 1. Cor. II, 14. Exemplo nobis sunt Judæi, mortem spiritualem ac æternam pro corporali malitiose habentes.

11. Veritatis hostium mos est, ut pios ipsorum aut Scripturæ verbis oppugnaturi, illa ante detorqueant, quam impetum faciunt.

12. Mortem quoque corporalem meditemur sedulo, quia naturæ debitum sanctissimi etiam solvere debent; præcipue ut effugiamus æternam.

13. Scriptura Sacra ubi improprie loquitur, non interpretanda est aliter, quam mens Spiritus Sancti illud permittit.

14. Qui semel hæreticus declaratus est, semper talis haberi solet, adeo ut ejusdem justa etiam apologia hæresi aut impietati fidem facere credatur.

15. Veritatis hostium proprium est, falsas & iniquas consequentias è dictis piorum elicere.

16. Amor Dei erga pios communis non tollit quorundam prærogativam, *qualem habuit Abraham cum Prophetis, præ aliis.*

17. Magna hic est impietas Judæorum, qui Prophetas laudant, nec tamen Prophetam summum audire volunt, sed eum è medio tollere student.

18. Scripturam sacram non intelligit, qui in eadem contradictiones veras fingit.

19. Piorum majorum memoria, & beatus ex hac vita exitus, merito apud posteros citra oblivionem in benedictione esse debet.

20. Argumentatione ab exemplis Scripturæ Sacre communiter pessime abutuntur impii, sive bona ea sint, sive mala, sive indifferentia.

21. Ut tutius impios malus spiritus sibi irritos conservet, ipsi persuadet, pietatem & ejus confessores ex diabolo esse, ipsos vero ex Deo.

22. Bis peccat atque insanit, qui, quod capere non vult, convitiis proscindit.

23. Inter Christianos alii aliorum verba & loquendi formulas juxta sensum optimum interpretari debent.

Μη συ μείζων εἶ ἢ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ, ὅστις ἀπέθανε,
καὶ οἱ προφῆται ἀπέθανον, τίνα σεαυτὸν σύ ποιεῖς;

PORISMATA.

1.

Audacter expostulare & criminari, impiorum proprium est.

2. Affectus cordis est moderator verborum atque gestuum, in piis bonus, in impiis perversus.

3. Errant ergo, qui scheinata ac verborum lumina, nec non gestuum ac vocis moderationem tantum ex Rhetorica perant, nec locuturi ipsum induunt affectum, optimum hujus rei Magistrum, qui in perversis perversus, in rectis rectus, *Judaeorum interrogationes & repetitio vocis ἀπέθανε, ἀπέθανον utiq. affectum produunt.*

4. Ut Christi, sic & ipse servorum nomen promeritum ac justum quia ferre non possunt mali, eidem omnibus modis detrahunt.

5. Bonae causae defensio, & donorum divinitus concessorum legitima ac modesta ostensio ab impiis solent superbiae tribui.

6. Autoritate pugnat praepostere, qui argumentis est destitutus.

7. Gloriatio de Abrahamo non est concedenda Judaeis, si ejus filii sint degeneres.

8. Si gratos Deo fuisse credimus aut scimus pios majores nostros, ipsorum legamus vestigia, si & ipsi DEO placere volumus.

9. Nihil est communius, & simul nihil est vanius, quam antiquitatem ac nobilitatem generis sui falso crepare.

10. Mo-

10. Modeste sese gerant & de se sentiant Verbi Ministri, ne impiis dent ansam objiciendi superbiae crimen. *In prompta ratio est, quia ansam arripere solent, ubi nulla est, ut hoc loco.*

11. Solent impii piis falso objicere vitia, quibus iniqui isti censores ipsi maxime laborant. *Quid enim hic Judaeorum mente poterit dici aut fingi superbius.*

12. Zelo se agi divino putant impii, dum pios exagitant & persequuntur.

13. Vel ex Pharisaïs discant Disputatores hodierni, aptius atque naturalius rem agi quaestionibus in disputatione, quam plectilibus syllogismis, modo absit affectus tortuosus.

14. Hodierni Disputatores videntur à Pharisaïs didicisse artificium contra quamcunque thesin opponendi, litigandi ac veritatem lacerandi.

15. Perversam subigat rationem, ne μορφή δόξης offendatur in Christo, quicumque divinam ejus Majestatem haud vult in dubium vocare.

v. 54.

Ἀπεριδίθη ὁ Ἰησοῦς. Ἐὰν ἐγὼ δοξάζω ἑμαυτὸν, ἡ δόξα μου ἐδὲν ἐστίν· Ἔστιν ὁ πατήρ μου ὁ δοξάζων με, ὃν ὑμεῖς λέγετε, ὅτι θεὸς ὑμῶν ἐστί.

PORISMATA.

Propriam laus fardet; Studeamus ergo modestia.

2. Christus nonnunquam locutus est ex hypothesi Pharisaorum. *Poterat enim utique semetipsum omni jure glorificare, quippe qui summa, imo ipsa gloria est, sed id negat se facere in statu exinanitionis cum ostentatione, praecipue coram iis, a quibus*

D 2

bus nonnisi pro nudo homine habebatur. Conf. Matth. 19. v. 17.
Quid me vocas bonum?

3. Gloria est bonum divinum, quod soli Deo proprie competit.
4. Quo quis cum Deo unitus est arctius, eo redditur gloriosior, divinæ gloria particeps.
5. Omnium quidem hominum Deus dici potest Deus, sed Pater nonnisi fidelium.
6. Multi audacter cum Judæis Deum Deum suum jactant, qui tamen à Deo sunt mente alienissimi, nec Deum factis probant, esse suum Deum.
7. Nulla in homine vera est gloria, nisi quæ est è nostra apud Deum *visio*.
8. Alio sensu Christus, alio fideles Deum vocant Patrem suum.
9. Quicumque Deum honorat, à Deo honoratur in *visio* statu.
10. Judæi revera non habuerunt Deum Patrem, quia rejecerunt Deum Filium.
11. Prius exuendus est honor vanus ac proprius, quam nobis Deus verum ac suum conferat per *visio*.
12. Ambitio multos adigere solet, ut Christo ac ejus veritati contradicant.
13. Symbolum Verbi Ministri Christique Servi esto: non quero gloriam meam, nec quæ mea sunt.
14. Contemptis in mundo piis solatio esse debet gloria coram Deo vera ac aterna.
15. Dei Patris testimonium de audiendo & honorando Filio est omni exceptione majus.
16. Qui Deum vocant suum Deum, sed non in Spiritu ac veritate, peccant contra præceptum secundum.

17. A collatis à Deo beneficiis atque gratia ad statum ac jura adoptionis nostræ non valet consequentia.

18. Gloriam quam in contemptu mundano apud Deum habent pii, impii non vident, sed tanquam imaginariam rident.

19. Tanti unusquisque est, non quanti se ipsum æstimat, sed quanti à Deo habetur.

20. Illum honorat Deus, cujus ministerium in Christo reddit efficax ad lucrandas animas.

V. 55.

Καὶ ἐγὼ ἐγνώκατε αὐτὸν, ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτὸν καὶ ἐὰν εἶπω, ὅτι ἐγὼ οἶδα αὐτὸν, ἔσομαι ὅμοιος ὑμῶν, ψεύστης, ἀλλ' οἶδα αὐτὸν, καὶ τὸν λόγον αὐτῆς τηρῶ.

PORISMATA.

I.

Non est verborum involucris regenda veritas, sed juxta Christi exemplum aperte profitenda sine dissimulatione ac ambagibus, imprimis contra ejusdem hostes.

2. Nemo vere Deum potest vocare suum Deum, nisi qui eum vere agnoscit.

3. Impii & quicumque Pharisæorum vestigia premunt, non habent veram Dei cognitionem.

4. Fieri potest, ut aliquis cum Pharisæis ac Legis Peritis in Mosis vel Lutheri, vel alius viri magni cathedra sedeat, & orthodoxiam jactitet, nec tamen veram Dei agnitionem habeat.

5. Non postrema fidelis Verbi Ministri cura sit, ut impiis auditoribus suis vanam atque effectam christianismi fiduciam eximat, iisque suam ipsorum nuditatem aperiat.

D. 3

6. Alio

6. Alio modo Christus agnoscit Deum, alio Christi discipuli, sive christiani.

7. Possunt Christi cultores omnino exigente necessitate citra animi elationem gloriari in Deo ac spe futura gloria; ut impios pudefaciant.

8. Qui suam in Deum fiduciam negat, nec audet christianismi sui professionem edere, mendax est atque hypocrita, Deum ipsum abnegans.

9. Pulchrum est atque gloriosum, a Phariseis contumelia affici & falso in hæreticorum numerum referri, quia hoc ipso in honorem piorum testantur improbi, illos non esse sui commatis suæque indolis.

10. Pii non celebent impios suum ab ipsis dissensum, sed, eo indicato, eos emendandi animo reprehendant.

11. Is digne Christum imitatur, qui verbum ejus servat.

12. Nemo habet christiano dignam Dei agnitionem, nisi qui Verbum Dei servat. Conf. I. Joh. II, v. 3, 4.

13. Deum vere non agnoscit, qui ignorat, Jesum esse Filium Dei æternum.

14. Quicumque veritatem divinam cum Phariseis impugnat, non est Orthodoxus.

15. Vera Dei agnitio non acquiritur studiis ac diligentia humana, alias eam habuissent legis inter Judæos periti, Dei rerumque divinarum imperitissimi.

16. Non levius est peccatum, agnitionem Dei instante persecutione abnegare, quam eandem falso jactitare.

17. Servatio verbi divini, sive vitæ sanctimonia, necessarius est vitæ Dei agnitionis fructus.

18. Quam longissime absunt à vera Dei agnitione, qui vel nudam locutionem de servatione præceptorum Dei pro suspecta habent.

19. Quicumque negat à regenitis servanda esse Dei præcepta, negat Christum nobis esse exemplo.

20. Ali-

20. Aliter tamen Christus servavit verbum Dei, aliter regeniti.

21. A mendaciis quibuscunque sedulo caveant veri Christi cultores.

22. Miserrimus est ecclesiae status, & miserrima ovium conditio, ubi Pastoribus vere agnoscia Dei objici potest.

23. Pii sibi merito cavent à similitudine impiorum.

24. Regeniti ac pii agricolae cognitio theologica solidior est, quam irrogeniti & impii Doctoris vel Professoris Theologi. *Hic enim in statu irrogenito cum Phariseis Deum non agnoscit; ille autem ex Deo natus est, ac ejus verbum servat: Id quod vivam, veram ac salutarem Dei agnitionem, sive scientiam theologicam proprie sic dictam, omnino supponit.*

25. Neque tunc debemus falsa dicere, ubi falsiloquium speciem humilitatis praese ferre possit.

26. Ut Judaeorum, sic & Christianorum plurimi ignoto Deo cultum exhibent. Conf. Act. 17, 23.

V. 56.

Ἐθαύμασεν ὁ πατήρ ὑμῶν ἡγαλλιάσατο ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη.

PORISMATA.

I.

Quod conceditur impiis, commode in convictionem eorum convertendum, sive ostendendum est, quantum absint à prerogativa sua. Conf. v. 39, 40.

2. Fides absentia intuitu fiduciali ac spirituali facit praesentia.

3. Fidei indoles est exultare in promissionibus Dei.

4. Fides omnino est oculata: Alii autem sunt oculi fidei, alii oculi corporis.

5. Saepè

5. Sæpe anam præbere solent in veritatis impugnatione impii, ut suo possint gladio jugulari. *Conf. v. 53. ubi exemplo Abrahami pugnant, quo hic vincuntur.*

6. Fuerunt utique Christiani ante Christum natum, qui per eundem agniti salvati sunt. *Conf. Hebr. XI, v. 26.*

7. Vera Dei agnitio seu visio habet gaudium.

8. Veteribus Messiaæ expectatio fiducialis fuit, gaudioque plenissima.

9. Christianorum in Novo Testamento vita sit gaudio spiritali abundantior, *quia illustriorem Christi atque salutis mysteriorum agnitionem habent.*

10. Deus multis modis olim futura revelavit, *Conf. Hebr. 1, 1.*

11. Tempora Novi Testamenti & in primis eorum periodus prima & ultima merito dici nomen habent, quia in illa Christus Sol Justitiæ eluxit, in hac pleno lumine conspicuus erit.

12. Magna fuit felicitas eorum, qui Christum in carne viderunt & eundem simul agnoverunt.

13. Pii gestiunt videre cominus, quod fide viderunt eminus.

14. Ea sincera est atque unice bona lætitia, quæ spirituale habet objectum & spiritali animum affectu implet, eumque in Deum magis magisque subvehit.

15. Affectus lætitiæ spiritalis idem est in principio & fine, sive à lætitia incipit & in eandem desinit. *Exultabat enim Abraham, ut videret, & cum vidisset, gaudebat.* Contra: Lætitiæ naturalis vel carnalis exitus turpis est ac tristis.

16. Errant quicumque æcerbum & durum sibi fingunt christianismum, remotum ab omni gaudio: Habet omnino gaudium, sed spirituale in Christo.

17. Incrementum agnitionis Christi affert accessionem gaudii.

18. Gaudium in conspectu Christi brevissimum infinitis modis superat gaudia mundi longissima.

19. Judæi non sunt genuini Abrahami Filii, dum Messiam quem ille amplexus est, impie rejiciunt.

20. Incredibilis erit gloria, & ineffabile vitæ æternæ gaudium, cujus tam illustrem fides in hac etiam vita prægustum habet.

21. Ecce! vobis, ô saltatores mundani, ac saltationis patroni, ecce vobis licitū & imitatione dignum exultationis sive saltationis genus. Sic etiam David saltavit ante arcam fœderis. Quod genus si vobis non arridet, eligite illud, quod ipse Christus commendavit, sed carni vestræ longe ingratius erit, scil. Matth. V, 12.

22. Ubique in corde Christus apparet, diem affert lux mundi.

23. Ne externis quidem corporis oculis digni sunt, qui rege-
nitos oculos mentis illuminatos habere negant.

24. Ut magna sæpe lux fuit sub Veteris Testamenti tenebris, sic magna sæpe sunt tenebræ in Novi Testamenti luce, quia homines lucem sunt exosi.

V. 57.

Ἔειπον ἔν οι τωδαίοι προς αὐτόν. Πεντήκοντα ἔτη ἔπω ἔχεις,
καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας;

PORISMATA.

I.

Irregentis mysteria divina clausa sunt, & ipsa Scriptura illis est liber clausus, in primis si tenebras connatas augeat voluntaria malitia, sicuti eas auctas videmus in Pharisæis.

2. Probabile est, Christi faciem, corpore tot vigiliis & Ministerii laboribus exhausto, aliquanto seniores fuisse, quam pro annorum numero, minusque speciosam. Nondum enim annum 34. excefferat. conf. Ef. 53. v. 2, 3. Nisi dicere velis, Judæos respexisse ad summam Christi gravitatem, vel ad numerum apud ipsos secularem ac celebriorem ob Jubilæum, vel illos data opera Christi annos auxisse, quo minus aberrarent, & adversario suo aliquid præterquam opus esset, concederent.

E

3. Ni-

3. Nihil magis obstat vero Scripturæ sensui cognoscendo, quam præconceptæ opiniones, firmatæ odio.

4. Ut Deum amantibus omnia in bonum, sic præfracte impiis adeo omnia cedunt in malum, ut ipsa Christi informatio illorum tenebras & malitiam augeat.

5. Excitata perversorum hominum ingenia, sive fortes, ut vocari volunt, spiritus Phariseos imitantur, & cum illis sunt ex diabolo, dum rident, quicquid ipsorum principiis repugnat, aut corruptam rationem superat.

6. Cachinno simul atque indignatione veritatem excipere, veritatis hostibus familiare est. *Quis enim dubitabit, Phariseos hic cum cachinno fuisse stomachatos?*

7. Quam male conveniat inter illos, qui è diversis principiis, diverfoque animo ac affectu disputant, hæc disceptatio ostendit.

8. Sociniani sunt Phariseorum discipuli, magistris suis deteriores: Diversas enim in Christo naturus neque jam vident, ubi largior illis Evangelicæ veritatis lux affulgere potuit.

V. 58.

Ἔειπεν αὐτοῖς Ὁ Ἰησοῦς. Ἀμήν ἀμήν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραάμ γενέσθαι, ἔγω εἰμι.

PORISMATA.

I.

Sæpe impii piis subministrant occasionem & arma ad defendendam veritatem, *ut hoc loco Judæi Abrahami exemplo pugnant, & vincuntur.*

2. Afseveravit Christus gemino jurejurando Deitatem suam, ut ejusdem sacrilegos hostes rerunderet.

3. Hostibus furentibus infractò ac tranquillo respondere animo, christianum est.

4. A negata spe conversionis hostium, ad intermittendum veritatis testimonium, non semper valet consequentia. *Prævidebat enim Christus ea, quæ v. sequ. narrantur.*

5. Chri-

5. Christus est verus Deus, qui prior Abrahamo.

6. Tam arcta est naturarum in Christo unio, ut, quod uni competit, de tota dicatur persona.

7. Credamus in Jesum, eumque colamus & adoremus in Spiritu ac veritate, quia verus Deus est.

8. Phariseos imitantur non Sociniani tantum, sed & è orthodoxis illi, qui Christi Deitatem divinamque auctoritatem ac virtutem protervis ac impiis suis factis negant. Utrumque faciebant cum Judæis Pharisei.

9. Christo, ut Deo æterno, optime competit tempus præsens; Deus enim proprie est supra omnem temporis differentiam.

10. Quantum sit in Socinianis veritatis odium, quanta perversitas, & quanti illi sint Scripturæ Sacræ tortores ac corruptores, ex hoc dicto inter alia constat.

11. Verbum ἐπι non notat existentiam ratione constitutionis aut prædestinationis, vel ratione efficaciam & promissionis, ut nugantur Sociniani, sed notat realem ac personalem existentiam; quia de ea Judæorum erat quæstio, ergo & Christi responsio, quam quod hoc modo intellexerint, integer docet contextus.

12. Desperatæ causæ signum est, sacro textui vim inferre.

V. 59.

Ἦσαν ἐν λήθῃ, ἵνα ἐάλωσω ἐπ' αὐτόν. Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη, καὶ ἐξήλαθεν ἐν τῷ ἱερῷ διελθὼν διὰ μέσων αὐτῶν, καὶ παρήγγεν ἄνω.

PORISMATA.

I.

EXtreme perversi ac malitiosi esse solent, qui veritati resistunt.

2. Lapidibus ac convitiis loco argumentorum pugnant impii.

3. Contra alios vi fuere, malæ causæ signum est.

4. Sociniani Judæis sunt deteriores, quia, quod Judæi faciebant, Christi Deitatem ex verbis ejus agnoscere nolunt.

5. Sæpe hostes furore ulteriorem veritatis expositionem sibi præcludunt.

6. Cæcus perversusque zelus quomodo accendatur, & quorsum furentes

ani-

animos abripere possit, Judai docent. 7. Qui cum Iudæis diabolum patrem suum imitatur in mendaciis (conf. v. 44, 55, secundem & in parricidio imitari solet 8. Testimoniis de Deitate sua verbalibus Christus reale addit. Conf. Luc. IV, 30. 9. Christianis licet nutu Dei quandoque effugere hostium rabiem. 10. Veritas semper tandem triumphat, nec pressa opprimitur unquam.

11. Cede repugnanti, cedendo victor abibis. 12. Fui or armata ministrat, sive quicquid in promptu est, arripit in vindictam: Tanta hominum est impotentia, tanta infania! 13. Qui malevolas ac maledicas hominum voces non æquo animo propter Christum sustinere potest, quomodo lapidationem sustinebit veritatis confessor, ab imitatione Christi tam alienus? 14. Quidni gemat juxta Rom. 8, 22. Creatura, contra Creatorem impie usurpata? *ut hoc loco lapis contra Christum.* 15. Deus veritatem odio exceptam solet subtrahere, ut hoc loco Christus suam cum veritate subtraxit præsentiam. 16. Abit vel pellicur è templis Christianorum Christus, ubicunque pro vero Deo non habetur, ac revera colitur.

17. Facilis est lapsus peccati in peccatum aliud. 18. Vi expulsus veritatis confessor, salva conscientia citra tergiversationem abire potest. 19. Spiritus Antichristi est Spiritus Phariseorum, à quo cavendum. 20. In medio etiam hostium furore intrepidus sit veritatis confessor, Deo confidat, pressum pro sapientia ac potentia sua erepturo. 21. Verbum Christi pure prædicatum, si motus excitaverit domesticos aut civiles, id non nisi per accidens fieri, credendum est, perversitate hominum veram culpam sustinente. 22. Verendum est, ne lapidibus aliquando impugnent Deitatem Christi ejusdem hostes Sociniani, ubi numero & potentia invaluerint.

P. S. *Fontes textuales, B. L. nolui ubiq; addere, veritus, ne Specimen hoc magnitudine nimium excresceret: Ipse autem Commentarius quando sit edendus, incertum est. Ceterum ut hoc Specimen amicorum debetur precibus, ita Commentarius aut iisdem expugnatus, aut nunquam apparebit.*

153 134
AB: 153 134

ULB Halle 3
002 386 011





58

Juli. 2.

4502







15

SPECIMEN
MEDITATIONUM SACRARUM,
SIVE
COMMENTARII
PORISMATICI
IN
EVANGELIA,
QVAE VOCANT,
DOMINICALIA.

BEROLINI, apud Christoph. Papeonium, Bibliop.

ANNO M DCCI.